

nihil potest mereri, nec est laude digna; posita autem in voluntate illa re actuali, ut sic dicam, naturali necessitate sequitur influxus voluntatis in ipsam, adeo ut oppositum videatur implicare contradictionem, quia non potest voluntas esse affecta illa actualitate quin velit; nec potest illa velle, nisi influendo in eandem actualitatem: ergo si illam actualitatem recipit sine usu libertatis, quicquid inde naturaliter sequitur caret libertate. Hæc igitur in summa sunt, quæ nos movent ut illud genus auxilii non admittamus, nedum necessarium esse existimemus. Et consequenter ingenuè fatemur nos sentire ac docere determinationem voluntatis non fieri in nobis a solo Deo, nec pertinere ad gratiam operantem, sed cooperantem, ut jam explicamus.

*Quid falso imponatur auctori.* — *Adversarii duas causas recte conjungunt in efficiendo eodem concursu.* — Videamus igitur quid falso nobis imponatur. Cupiunt sane dicti auctores, ut sicut ipsi solo Deo tribuunt determinationem nostram, ita nos soli libero arbitrio eam adscribamus, etiam respectu consensus supernaturalis, ita enim habebunt quod reprehendant, ut erroris ac hæresis damnent. Longe tamen absumus ab illo errore; nam imprimis nobis non est necessarius ad impugnandum illorum sententiam, quia ut non Deus solus efficiat determinationem, satis est ut simul eam faciat liberum arbitrium; ergo, licet nos contendamus non esse tribuendam soli Deo hanc efficientiam, non propterea Deum ab illa excludimus, aut soli libero arbitrio illam tribuimus. Nec arguere possunt quod non possimus has duas causas conjungere in efficienda hac determinatione, et ideo excludere Deum, eo ipso quod eam tribuimus libero arbitrio. Nam ipsi illas duas causas recte conjungunt in efficiendo eodem consensu, in quo etiam fatentur esse pure concomitantes, neque unam proprie agere in aliam per talem influxum, sed unam cum alia, salvo ordine dependentiæ et dignitatis inter se, quia una agit ut prima, alia ut secunda causa. Quod ergo ipsi fatentur de consensu, nos extendimus ad determinationem ad consensum; et quod aiunt de progressu in ipso actu, ut sic dicam, nos dicimus etiam de inchoatione proxima et per se ipsius actus. Denique quod dicunt de secunda effectione actus, nos dicimus de prima; ut enim rem explicem cogor ab ipsis ita loqui; nam revera non est ibi progressus et inchoatio, nec duplex effectio actus, sed unica, quæ simul est ab utraque

causa, ab unaquaque in suo ordine, et illamet effectio consensus, ut est a voluntate creata, est determinatio ad consentiendum, quia effectio illa intrinsece includit quod per seipsam voluntaria sit, et quicquid aliud fingitur de illa determinatione, nec mente capi potest, nec fundamentum habet, vel utilitatem. Ergo ex eo quod negemus determinationem illam esse a solo Deo, non recte colligunt quod asseramus esse a solo libero arbitrio; nec video aliud principium aut dogma in tota nostra doctrina, unde id elicere aut suspicari possint. Quod si non utuntur illatione aliqua, sed formali assertionem talis erroris, proferant locum aliquem, qui in vero et Catholico sensu a suomet auctore explicatus non sit; certe non poterunt, quod paulo post, respondendo ad ea quæ allegant, et in principio proposita sunt, evidenter constabit. Nunc positive ostenditur ex illis locis, in quibus non solum contrarium expresse diximus, verum etiam magna circumspectione id advertimus, ut malum hoc præcaveremus. Ut patet in lib. 3 de Auxiliis, cap. 22, n. 4, 5 et 6, et doctrina latius tradita eodem libr., c. 4 et 5. Quam etiam egregie ostendit Molina in Concordia, disput. 36 et 37, et in 38 ex professo probat consensum, quem homo præbet gratiæ excitanti, non fieri sine actuali influxu gratiæ cooperantis ad determinationem illam. Omitto alios ex nostris auctoribus, quia res est tam clara, ut non potuerit a cordatis et Catholicis viris in disputationem trahi. Quia determinatio illa ad opera pietatis pertinet, estque aliquid ad salutem non modo utile, verum maxime necessarium; certissimum autem est, quicquid hujusmodi est, sine adjutorio gratiæ fieri non posse, ut Concilia tradunt ex verbis Christi: *Sine me nihil potestis facere*; ergo.

*Quam vim habeant adversariorum motiva.* — *Primum eorum motivum desumptum ex verbis Molinæ.* — Superest ut videamus quam vim habeant adversariorum motiva. Primum erat desumptum ex quibusdam verbis Molinæ, quibus alia objicimus ex disput. 38, § *Ad secundam vero probationem*, pag. 240, juxta editionem Ulyssipon. anni 1588, ubi sic inquit: *Si in summo rigore sit loquendum, quando in duobus adultis dantur æqualia auxilia gratiæ prævenientis, non est absolute affirmandum cum æqualibus auxiliis unum illorum converti, et alterum non converti, nisi addatur ac dicatur: Gratia prævenientis. Etenim quando unus illorum pro sua libertate convertitur,*

*jam auxilium præveniens ipsi collatum habet in eo novum influxum gratiæ cooperantis, quem non habet in alio.* Est autem advertendum apud Molinam, et in omni vera et intelligibili doctrina, idem esse hominem converti, et determinari ad consentiendum gratiæ vocanti ad conversionem; quod supra probatum est, quia vera determinatio voluntatis non est nisi effectio sui consensus. Cum ergo Molina dicit quando homo convertitur recipere novum influxum gratiæ, sentit manifeste libertatem solam sine speciali influxu gratiæ non sufficere ut voluntas determinetur ad consentiendum divinæ vocationi; unde subjungit: *Neque item affirmandum est, existentibus in duobus adultis æqualibus auxiliis gratiæ prævenientis, unum eorum pro sola sua libertate converti, et alterum non, quoniam, licet conversio illa a libertate pendeat, fiatque ab arbitrio pro sua libertate, non tamen fit pro sola sua libertate; sed cooperante simul auxilio gratiæ prævenientis, per influxum a quo sortitur rationem gratiæ cooperantis.* Quid ergo necesse est vocem illam *pro sola libertate*, quæ casu fortasse in uno loco excidit, toties expendere, exaggerare, et in priori sensu interpretari? præsertim cum idem auctor paulo inferius tam expresse et accurate mentem suam declaret, et generalem regulam constituat exponendi similem locutionem, subjungens hæc verba: *Quia tamen molestum esset loqui semper in eo summo rigore, obscuramque reddere orationem adhibendo restrictiones, minime ad id de quo agitur necessaria; quando in sequentibus dicitur unum cum æqualibus auxiliis, etc., converti, et non alium, id intelligendum est de auxiliis gratiæ prævenientis, non de influxu illo, a quo sortitur rationem gratiæ cooperantis.*

*Quid intenderit addens particulam exclusivam sola.* — Juxta quam regulam, quando in illo priori loco addidit particulam exclusivam *sola*, non intendit excludere auxilium concomitans, quo adjuvatur liberum arbitrium, sed solum excludere novam gratiam prævenientem seu determinantem liberum arbitrium. Itaque addita est ad significandum discrimen illud, inter eum qui convertitur, et non convertitur, oriri ex libertate voluntatis. Nam auxilia prævenientia supponuntur æqualia in utroque; et Deus, quantum est ex se, paratus erat ad cooperandum cum eo qui non convertitur, et tota ratio ob quam non dat illi novum influxum gratiæ cooperantis, est quia ipse homo pro sua libertate non vult efficere

consensum, et ita ex hac parte discrimen nascitur ex sola libertate. Ex parte vero alterius qui convertitur, necessarium est auxilium concomitans, quod per illam particulam non excluditur, ut declaratum est. Neque est aliena hæc interpretatio a proprietate Theologici sermonis; nam e regula Theologorum est, exclusivum signum non excludere concomitantia. Si quis enim dicat ignem calefacere pro sola innata virtute sui caloris, non propterea intelligitur excludere Dei concursus.

Nec denique prætermissa sunt ab eodem Molina, in eadem disputatione duodecima, multa verba quibus hanc mentem suam clare significavit. Nam præter auxilium præveniens, quod sæpe ibi repetit esse necessarium, subdit, pag. 55, actualem conversionem, licet pendeat ab actuali et libero influxu arbitrii, præcipue pendere ab influxu et cooperatione Patris per auxilium gratiæ; et addit: *Quatenus ille actus libere fit ab ipso credente per influxum, quem tunc potest continere, est accessus liber; quatenus vero est præcipue a Deo, est Dei opus supernaturale, per quod Pater æternus sua misericordia trahit credentem in Christum, servansque illi suam innatam libertatem, cooperatur cum illo liberum illum ad Christum accessum, qui vere est opus virtutis.* Unde, quod per illam dictionem exclusivam *sola*, voluerit excludere novam prævenientem gratiam, satis explicuit in eadem p. 53, ita concludens: *Quo fit ut non soli gratiæ prævenienti tribuendum sit quod ex audientibus Evangelium quidam convertatur, quidam non convertatur, sed suus etiam locus relinquendus sit libero arbitrio cuiusque, a quo (præsto existente auxilio gratiæ) pendet quod peccator convertatur aut non convertatur;* et infra, pag. 60, repetit nullum opus supernaturale quoad se totum, vel quoad aliquid sui, elici posse a solo libero arbitrio, sed principaliter ad id concurrere Deum, et cooperari per auxilia gratiæ; et in fine declarat quod, cum dicimus voluntatem libere consentire Deo vocanti, non excludimus adjutorium et cooperationem divinam, quin potius illam supponimus; et infra concludit: *Atque in hunc modum in posterum accipiantur, quæ a nobis de his rebus dicuntur; licet enim corabimur semper caute loqui, superfluum tamen ac molestum esset hæc eadem in singulis propositionibus inculcare.*

*Falsum est quod M. Davila imposuit auctori.* — Unde constat primo falsum esse quod

idem M. Davila nobis imposuit, dicens: *Non plus confert actioni voluntatis meae in principio gratia, quam si non esset.* Tam enim in principio quam in medio vel in fine confert gratia coefferendo et cooperando; cui veritati non repugnat quod voluntas pro sua libertate cooperatur in eodem principio determinationis suae, et effectiois gratiae cooperantis. Quod si addatur *sola*, jam dictum est non excludi hunc influxum gratiae. Et similiter non est negandum simpliciter hominem recipere a Deo hanc bonam determinationem, cum sit effectus divinae gratiae praeventis et adjuvantis, uniuscujusque in suo genere et modo sic accommodato. Quod si aliquando inveniatur scriptum voluntatem non recipere a Deo suam determinationem, intelligendum est non pure recipere, id est, non mere passive se habere cum illam recipit, sed cooperando ad illam eam recipere. Et similiter si alicubi dicatur determinationem non fieri a Deo in nobis, eodem sensu exclusivo intelligendum est, id est, non fieri a Deo in nobis sine nobis, sicut non fit a nobis sine Deo, et his modis loquetur securus prudens Theologus.

*Non asseruit auctor voluntatem prius se determinare, quam Deus concurreret per efficax auxilium.*—Secundo, esse non minus falsum quod asseramus voluntatem prius se determinare quam Deus concurrat per efficax auxilium. Expresse enim contrarium docemus, et peculiariter illud advertimus in libr. 1 et 3 de Auxiliis, cap. ultimo, et frequenter in discursu illius operis. Cum enim determinatio illa essentialiter et principaliter pendeat ab efficacia, seu efficientia gratiae adjuvantis, quam a libero arbitrio, impossibile est prius fieri a solo libero arbitrio quam a gratia efficaci; et aequè falsum est dicere voluntatem constitutam in actu primo per auxilium sufficiens *se sola et per se ipsam* reduci ad actum secundum, si particula *se sola* (ut objiciens intendit) excludat omnem efficientiam veri et proprii auxilii efficacis. Nam si solum excludat extrinsecam causam praedeterminantem voluntatem sua pura efficacia, sic verus esset sensus; forma autem loquendi non est apta, ut dictum est. Minusque est usurpanda in absoluta locutione de voluntate constituta in actu primo, et prodeunte in actum secundum, quam in comparatione inter duos aequales auxilio praeventos, etc.; nam in hac comparatione saltem ratione unius extremi non operantis tota ratio diversitatis est libertas;

in efficientia autem actus secundi pietatis nunquam potest esse libertas tota ratio operandi; et ideo, licet in comparativa locutione inveniatur interdum apud Molinam illa dictio *sola*, non tamen in absoluta enuntiatione de illo qui convertitur; falsa ergo eam imposuit nobis Cabrera, praesertim cum me nominet qui neutram protuli.

*Cap. 10, p. 103.*—Quare absque majori fundamento alibi dixit Franciscus Davila, *ipsam solam naturam, secundum nostram imaginationem, gratiam antecedere et praedeterminare.* Non enim dicimus naturam antecedere, sed subsequi unam gratiam et comitari aliam, neutram autem praedeterminare, quia neutram praecedit, etiam naturae ordine, ut capite sequenti exponetur. Posset autem dici (quamvis fortasse haecenus ex nostra sententia dictum a nobis non sit) liberum arbitrium suo influxu determinare influxum gratiae cooperantis, non determinatione praevia, sed simultanea, quia, sicut influxus liberi arbitrii necessarius est ut gratia actu influat, ita determinatus influxus liberi arbitrii in talem consensum vel determinationem, necessaria conditio est ut auxilium gratiae in illam determinate influat. Unde, licet inter illos duos influxus ratione distinctos non sit propria causalitas, nec prioritas naturae, nihilominus secundum diversos respectus possunt recipere diversas denominationes. Igitur, ut est a Deo, potest dici proprie *adjutorium Divinum*; ut vero est a libero arbitrio, potest dici *determinatio*; et ita sicut non tam proprie dicimus nos adjuvare Deum ad nostram salutem, sicut dicitur Deus nos juvare (quamvis Paulus interdum nos vocet coadjutores Dei); ita e contrario dici nos possumus determinare auxilium Dei, potius quam e converso; quamvis in bono sensu etiam sit verum Deum determinare nos, quia nobiscum efficit determinationem voluntatis nostrae, propter quod non displicet modus loquendi dicentium Deum condeterminare nos.

*Aliae propositiones ab adversariis falso impositae.*—*Davila ubi supra, n. 5.*—Tertio, constat quid sentiendum sit de aliis propositionibus supra relatis, quarum una est, *Deum adjuvare voluntatem jam determinatam, ut actum perficiat.* Est enim falso imposita, quatenus per illam particulam *jam determinatam* significatur Deum non juvare voluntatem ad suam determinationem; nam potius dicimus Deum juvare voluntatem ut se determinet, et ita suum actum perficiat. Imo sentimus volunta-

tem jam determinatam non indigere novo adjutorio ad perficiendum actum consentiendi, vel potius non esse capacem illius, quia voluntas non aliter determinatur, nisi efficiendo suum consensum; dum autem illum efficit, illum etiam perficit, quia unico momento et indivisibili efficientia perficitur (ut ita dicam). Quare si voluntas est jam determinata in facto esse, jam vult; si determinatur in fieri, jam elicit actum. Si ergo jam esset determinata sine adjutorio Dei, non indigeret illo ad perficiendum consensum, neque esset capax illius, quia non esset iterum effectura eundem consensum, sed solum posset indigere Dei adjutorio ad perseverandum vel durandum in consensu jam praestito, vel ad perficiendum consensum in aliquo opere vel effectu ad quem ordinatur. Quomodo dixit Paulus: *Qui dedit velle, dabit et perficere*; et nos e converso dicemus, qui adjuvat ad perficiendum consensum, adjuvare ad inchoandum illum, et determinationem ad illum quicquid illa sit. Unde quod ille auctor subjungit ex nostra sententia: *Et consequenter concurrat* (scilicet Deus) *cum voluntate concomitanter et non antecederet, praemovendo, aut praedeterminando, aut praedefiniendo*, solum est verum quoad illam particulam *non praedeterminando*; nam de praemovendo et praedefinitione contrarium expresse docemus, maxime de supernaturalibus actibus, libro tertio de Auxiliis, capit. quarto, et quinto, et decimo septimo, et libr. 1, cap. 17, num. 9.

*Alia propositio erronea.*—*Illius falsitas unde colligatur.*—Alia propositio ibi relata, et ex praecedentibus elicita, est illa causalis: *Quia voluntas se determinat ad talem actum, ideo Deus illi efficaciter auxiliatur ad eundem.* Quae eundem habet errorem et deceptionem, et ideo in eisdem locis nostrae Metaphysicae, quae ille auctor allegat, eam graviter improbamus, et libr. 3 de Auxiliis, cap. 15, et libr. 3, c. 6 et 14, praesertim num. 18. Et falsitas illius colligitur aperte ex principiis positae. Nam concursus Divinae gratiae efficacis, seu actu efficientis, intrinsece et essentialiter necessarius est ad ipsamet determinationem voluntatis; ergo non potest determinatio supponi ad efficaciam gratiae; ergo non potest propositio causalis illa esse vera; quin potius contraria causalis admitti posset: *Quia Deus efficaciter auxiliatur, ideo voluntas se determinat.* Est enim hoc verum, et ratione auxilii praeventis efficacis in vocatione congrua, et ratione auxilii con-

comitantis, quod est vera causa nostrae determinationis; et non excludit nostram co-operationem ad eandem, nec per illam causalem locutionem talis exclusiva indicatur; sicut vere (etsi non adaequate) dicitur ignis calefacere, quia Deus cum illo concurrat; quod non excludit quin calefaciat virtute innata. Seclusa vero nota causali, vere dicemus Deum efficere determinationem, seu influere in illam, influente voluntate, et non alias; ita ut voluntas sit concausa vel conditio necessaria, non vero ratio seu causa cur Deus efficiat.

*Altera causalis falsa falso imponitur auctori.*—Et eadem ratione falsa est altera causalis: *Quia Deus praevideat voluntatem se determinaturam, ideo decrevit concurrere.* Et falso nobis tribuitur, nam ex nostra doctrina sufficienter refutatur l. 1 de Auxiliis, c. 16; l. 2, c. 4, 7 et 8; et l. 3, c. 14 et 17, ubi de actibus supernaturalibus probamus Deum absoluto decreto praedefinire illos, priusquam absoluta praescientia videat illos esse futuros; et ex illo decreto divinae voluntatis oriri, tum vocationem congruam, tum etiam quod Deus paratus sit ad cooperandum cum voluntate, et quod de facto cooperetur annuente ipsa. Nec fieri ullo modo potest ut decretum concurrenti supponat absolutam praescientiam futuri effectus, cum haec praescientia necessario simul sit de futuro concursu Dei, qui concursus ex illo decreto est emanaturus; ergo non potest illa praescientia ratione antecedere tale decretum, nec esse ratio illius; hoc autem per illam causalem significatur; est ergo omnino falsa. Loquor autem de absoluta praescientia, quia illa, quae tantum est conditionata, antecedit quidem secundum rationem absolutum decretum et praedefinitionem divinae voluntatis de tali actu aliquando futuro, vel de efficaci auxilio ad illum praestando. Verumtamen, licet haec scientia supponatur ut necessaria conditio ex parte volentis, quia nemo potest prudenter absolute intendere ac praefinire, nisi praecognoscat viam et rationem certam exequendi suam voluntatem, nihilominus objectum sic praecognitum non est ratio ob quam Deus vult conferre talem gratiam vel actum, ut ostendimus libr. 2 de Scientia Dei, c. 6, num. 7, ad 6, et ideo, etiam respectu illius praescientiae sub conditione, falsa in rigore est illa propositio cum nota causali.

*Ultima propositio, quae falso tribuitur auctori.*—*Investigatur quid per auxilii effica-*